

*duxisse de cælo, sed ex elementis mundi accepisse, quæ mundo reddidit, cum sine carne resurgens in cælum ascendit.*

I. *Apellitæ sunt.) Quam variè statim dissecta fuerit Marcionitarum hæresis docet Irenæus, & post eum Euseb. lib 5. Histor. Ecclesiast. cap. 139.* Nam quemadmodum Tertullianus ait, Idem licuit Marcionitis quod Marcioni, de arbitrio suo fidem innouare. Quò fit ut inter hæreticos schismata nascantur, nec tamen schismata videantur, quia cùm sint, non apparent esse schismata, propterea quòd licet cuique animi sui sententiam tueri, & liberè profiteri exemplo præceptorum. Inter primos verò & notissimos Marcionis discipulos hi recensentur, Potitus, Blastus, Synerus, Basilius, & Lucianus quidam, à quo Lucianistæ hæretici dicti sunt, non ii quidem qui Arriani fuerunt, & his longè sunt tempore posteriores, quorum author Lucianus tempore Constantini Magni vixit, ut ait Epiphanius: sed hi sunt Lucianistæ qui Marcionitarum errores amplexi, nuptias damnarunt tanquam mali Dei opus & præceptum, & Dei Euangeliο contrarias, de quo Tertullianus & Epiphanius. Luciano igitur in schola successit Apelles, ætate iunior, & ipse tamen auditor Marcionis, qui propriam & à se denominatam hæresin condidit, quos alii Apellitas vocant, ut hic Augustinus & Isidorus: alii Apelleianos, ut Epiphanius, alii Apellicanos vel Apellicianos, ut Tertullianus in libro De carne Christi. Fuit hic Apelles non pictor ille memoratus, qui ante tempora manifestati in carne Christi vixit, fuitque natione Græcus: non etiam is qui vt virg

l. ii.